

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Archiwum Państwowego w Przemyślu, Akta Miasta Przemyśla, sygn. 428, s. 50–51

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuły 105–106 [Gn. 100]

[105] De sculteto, si aliquem impedierit in querela. Capitulum CIIII

Nunc attendatis de sculteto, si scultetus impedierit aliquem in sua querela et sibi iusticiam non fecerit, *[s. 51]* et hoc sibi iniuste recusat. Si pro eo coram castellano aut advocato impulsatus fuerit cum testibus, extunc ipsum cum testibus evadere opportet.

[hasła: sołtys, skarga, wójt, sprawiedliwość, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi]

[106] De querela super iudice. Capitulum CV

Cum qualicumque testimonio super iudicem querulatum fuerit, tali ipsum iudicem evadere opportebit testimonio, sive sint scabini aut alii astantes *[s.]* iudicio. Sin autem hoc coram iudicio banito fuerit actum, tunc melius potest vinci testibus iure, quam ipse testibus evadere possit. Sin autem vir cedere voluerit a testimonio et ipsum inculpare pro suo scitu, de quo unica manu evadere possit etc.

Et quando querimonia super ipsum coram advocato facta fuerit pro hac causa, pro eo respondere tenetur sine mora, ita quod ibi sit iudicium bannitum, quia ibi ipsum opportet esse presentem, nisi legale impedimentum ipsum impedierit. Quod impedimentum statim probare opportet. Si hoc non ostenderit et non nominaverit, et hoc per iusticiam facere denegaverit se excusare de sua iniuria, quam exercuit, et se ad iusticiam exhibere *[debet]*, extunc condempnatur ab advocato in decem talentis idem advocatus et illi suum debitum, de quo denegavit, facere iusticiam, et medio tempore quo ille non solverit solus, aut se iure excusaverit iudicio proximo, tunc nullus iudex esse potest, nisi se ex hac culpa eximerit, secundum ut est premissum etc.

Sin autem pro facto criminali, pro quo iudicium facere recusavit, sicut pro vulneribus homicidio, aut spolio, aut ecclesie violencia, aut incendium *[s.]*, aut his similia *[s.]*, que crima capitalia tanguntur, idem iudicium super eum, quod super illum ire debuit, pro eo nec recompensam, nec aliquid facere potest, si in his vincitur, ut iuris est.

Si vir unus in captivitatem publicam presentatus fuerit ad tenendum iure, si ipsum amiserit advocatus aut si evaserit absque culpa sua aut negligencia pro crimine, quod transit ad collum, pro eo solvat integrum recompensam. Sin autem

pro manu, tunc medium solvit recompensam et hoc ipsum iuramento probare opportebit tacto sacramento, quod sibi parcere noluerit, quod ipsum absque omni culpa sua ammiserit.

Omne aurum et argentum non informatum, et omnis siligo et carnes, cervisia et vinum, et panis, que vel quod aut quantum post tricessinum permansit, vel permanserit, totum cedit heredibus viri et non mulieri, exceptis pulmentariis, de quibus mulier medium recipit partem. Et heredes viri medium reliquam tollunt etc.

Integra recompensa facit decem et octo talenta, media recompensa facit novem talenta.

[hasła: sołtys, skarga, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi, ławnik, sędzia, odpowiedzialność, przeszkoda, świadek, wójt, skazanie, dług, wina, przestępstwo, kradzież, zranienie, zabójstwo, podpalenie, kara śmierci, zapłata, wynagrodzenie, przysięga, kościół]